Cap. IIII. De virtutis subjectis & adjunctis.

FUerunt ea quæ cum virtute absolutè consentiunt, nempe principia sive caussæ; sequuntur ea quæ cum virtute consentiunt modo quodam, ut; Subjectum & Adjunctum.

2 Subjectum est, vel recipiens, vel occupans.

3 Subjectum recipiens est homo.

SCHOL. Veteres Ethici virtutis moralis δεκτικὸν faciunt animam rationalem & affectus. Alii partim τὸ λογικὸν, partim τὸ ἄλογον, videlicet ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμοειδές, id est, appetitum concupiscentem & irascentem, quæ sententia est Arist. lib. 1. ethic. cap. 13. & lib. 1. magn. moral. cap. 5. & Fr. Piccolominei in Philos. mor. gradu 4. cap. 7. & seqq. Sed cujus est virtutis actio, ei quoque ipsa virtus est tribuenda. Actionem autem totius hominis esse, manifestum est ex illo trito Philosophorum: Actiones sunt suppositorum, hoc est, actiones sunt totius compositi seu ὑποστάσεως. Quare & ipsa virtus verum & genuinum suum δεκτικὸν non agnoscit nisi totum hominem. Nec obstat, quòd virtus moralis à rationali animâ principaliter dependet. Formarum enim effecta totius compositi adjuncta rectè dicuntur. Sic γελαστικὸν effectum quidem est τοῦ λογικοῦ, sed interim subjectum agnoscit ipsum hominem, quod adeò verum est, ut differentia sit inter λογικὸν animæ & λογικὸν hominis.

Rāo cur Sjctm recipiens vir tutis sit 50.

OBIECTUM

4 Subjectum occupans est vel internum, vel externum.

5 Internum est, quod inest in homine virtutem exercente,

6 Est-